

— 8 —

SOPHOCLEI  
OEDIPI REGIS  
CARMINA LYRICA LATINE REDDITA.

Quae in Sophoclis Oedipo Rege chorus canit carmina lyricalia, Latinis expressa ejusdem metri versibus edenda censui, ut non modo discipuli, quibuscum fabulum hoc anno legeram, haberent aliquod ulterius persequendorum studiorum incitamentum, sed etiam alii, qui hoc litterarum genus amant, meletem tum meorum documentum, quo mecum utriusque sermonis antiqui Graeci et Latini discrimina recognoscerent. Ut enim Graeca vocabula, qua sunt facilitate brevium maxime clausularum et terminationum molitiae, in versuum formas facilime coeunt, nec toties litterarum consonarum concursu collidunt et producuntur, ita Latina flexionum plerarumque in consonas exeuntium contagione versuum compositionem saepe impediunt. Hinc nonnulla metra versibus Latinis aegre tantum et raro possunt exprimi, ut dochmiacum aliaque complurium deinceps syllabarum brevium exempla. Interpretatio autem, ut per se clarum est, multo majorem habet difficultatem, quam libera carminum compositio. Quo minus igitur omnino est libertatis interpreti datum in verborum et sententiarum delectu quoque magis alieno arbitrio adstringendus utrorumque usus, eo plus excusationis semper habebit in hoc versuum genere paullo liberior interpretatio vel discessus a primitiva forma sententiarum praesertim in stropharum et antistropharum metris, in quibus saepe non sufficit eodem in utrisque metro uti, sed saepe eadem solutiones metricae utrobique desiderantur. His desideriis legibus et usibus in Graeco sermone facilius satisfieri potest, quam in Latino. Latine docti omnes probe sciunt, quanta sit contiguarum syllabarum brevium paucitas praesertim in vocales desinentium. Ii vero non mirabuntur, si in ejusmodi versibus vix aliqua primitivae orationis Graecae similitudo retenta esse videatur. Neque igitur vereor, ne, qui hoc genus studiorum perspectum habent, libertati meae aliquid

derogent, sed spero fore, ut metrorum necessitati orationisque Latinae indoli tantum tribuant, quantum Sophoclis ingenio subtractum fuerit. Ceterum iisdem, quibus Wunderus, metrorum descriptionibus sum usus, ut, quod propter libelli angustias Graeca apponere mihi non licebat, certum in Graecis ducem sequi possent.

**Argumentum.**

Oedipus Thebarum rex populo ante regiam supplicante ejusque interprete, Phoebi sacerdote, deprecante, ut peste grassante Delphos mittat, qui de malo finiendo consulat Apollinem, se hoc consilio istuc missum Creontem levirum exspectare docet. Nunc ipsum tempestive reversus Creon, Apollinis jussu Laii caudem caede regicidae vel exilio expiandam esse regis permissu renuntiat. Rex, expiandi regicidii et Apollinis placandi officia suscepto, concessionem dimittit. Quo facto chorus primum illud carmen lyricum infert, quo diis averruncis Jove, Apolline, Pallade (Athene), Diana imploratis quantum sit malorum in urbe inter querelas exponit. Jam Athenen nominatim obtestatur, ut Martem mortiferum in mare (Amphitrites regnum) mittat, eumque ut fulmine feriat, precatur Jovem. Idem Apollinem et Dianam obsecrat, ut omni vi infestum illud numen Dei letalis (*Λοιμοῦ*) communi deorum honore indignum et exclusum coercent.

**CHORUS I.**

*Stropha A.*

- 151 Quae vox dulce sonans Jovis, auri divite templo  
Pythonis inclytas venis  
Thebas? me timidum tenet horror et undique terror,  
Io, bone Delie Paean;  
155 Ambio te reverens, mihi quae modo,  
Aut iterum subeuntibus horis  
Attuleris mala,  
Dic mihi, nata Spei, data caelitus aurea Fama.

*Antistropha A.*

- 160 Invoco vos primum, Jovis aurea filia Athene  
Sororque agrestis Artemis,  
Quae solio resides bene famigerata forensi,  
Et Phoebe sagittifer, io!  
Tres mea fata dei mihi flectite,  
Quando priora etiam patriae mala  
165 Advenientia  
Mota loco procul hinc pepulistis, adeste etiam nunc.

*Stropha B.*

- Innumera fero dei mala:  
Decubuit universa gens,  
    Nec adest bona consilii vis,  
170 Qua quis abarceat; haud sata fertilis  
    Agri bene proveniunt, neque partu  
        Puerperae fera tormina perpetiuntur:  
    Verum revises alios aliis avis instar  
    Ire citis properantius ignibus  
175     Oras ad Hesperi Dei.

*Antistropha B.*

- Interit hominum inopina vis  
Nemine lacrimante, multa humi  
    Misere jacet absque querela:  
Hic genitrix pia eumque nuru socrus  
180 Ex omnibus undique sedibus adsunt,  
    Graves vises flexis genibus queritantes.  
Paeanque lucet gemitu comitante sonorem:  
His super o suboles Jovis aurea,  
    Blando ore dà levamen:

*Stropha C.*

- 185 Age, duis, ut rapidus  
    Mavors inermis aspidum,  
Sed undique fremitu suo petens me,  
Iter retro facessat et procul solo  
    Parentis aut in torum  
190     Viridis Amphitrites,  
    Aut Threicii maris aestum  
    Navitis negati.  
Quod haud rapit suprema nox,  
    Integrum dies petit.  
195 Eum tu, qui regis vim viamque fulminum,  
    Diespiter, aliquando tange caelo.

*Antistropha C.*

- Potens Lycee, tua  
Auro litis ab arcubus  
Jacula velim indomita vibres in auras  
200 Opem ferens meis; item, Diana, tu,  
Quae facibus ardentibus  
Lycia juga pererrans;  
Tu, quaeso, mitra renitescens  
Nominisque censors,

- 205 Thebane Liber Evie,  
Dux comesque Maenadum,  
Propinquus fervido clarus ore,  
Taeda pete male comparem diis deum. (Seil. Λοιμόν.)

**Argumentum.**

Diis rite invocatis certus deorum auxilii Oedipus se ipse regicidam diris et poenis persequi velle pronuntiat. Primum Tiresiam arcessit certissimum Apollinis interpres. Hunc ire et dicere cunctantem facinoris conscientiae rex arguit. Sic ira incensus Tiresias, interdictum regium ratum faciens, Oedipum ipsum convenire quemquam vetat. Quod audiens Oedipus Tiresiam a Creonte corruptum esse suspicatur. Vates indignabundus parem se regi esse contendit, stultiae autem insimulatus ab Oedipo se ejus parentibus prudentem esse visum in altercatione commemorans regem incendit cognoscendae originis suae cupiditate, et morari jussus Oedipum significat mendicum fore et exsulem. Hac chorus voce attonitus carmine lyrico (Vv. 630 sqq.) oraculaorum Apollinarium fidem et veritatem agnoscit vatis interpretationem et sententiam addubitat ut hominis scilicet, Tiresiae suam auctoritatem et intelligentiam aequiparans, neque vero ullam Labdacidae et Polybii rixam antea, sibi innotuisse monet, probe memor beneficij Sphinge pulsa olim accepti.

**CHORUS II.**

*Stropha A.*

- Quis ille, quem Delphica petra dicit ore vero  
Infandum patrasse scelus sua manus vi cruenta?  
460 Est tempus, ut ille equis  
Vento citioribus  
Fugam pede tentet.  
Sagittata virum petit insultans  
Suboles Jovis ignibus et tonitru  
465 Saevaeque sequuntur  
Numine truce Parcae.

*Antistropha A.*

- Refulsit alta nive candidi sonans sacri vox  
Montis Parnassi modo: quisque quaeritat latenter.  
Adventat in horridam  
470 Silvam, subit antraque  
Sub saxea taurus,  
Misero spatians pede desertus

Mediae fugiens sacra telluris  
Oracula; sed usque  
475 Vi vegeta feruntur.

*Stropha B.*

Saeva igitur, saeva remiscet sapiens auspicii,  
Quae reprobem quaeve probem, dicere prorsus dubito.  
Animi pendeo, nec praevideo, nec video.  
Quid enim Labdacidis sit  
480 Invidiae, quid Polybi sit generi, non ego nunc, non ego  
quondam  
Didici, nec ego certum habeo;  
Populi aggrediens Oedipodae judicium, Labdacidis  
Necium tacitarum ulti ero.

*Antistropha B.*

Sed tamen et Juppiter et Phoebus in omnes hominum  
485 Res penetrant; eque viris me mage vatem sapere, hoc  
Minime credibile est; consilium consilio  
Superat vir; sed ego non  
Ante probem, quam videam stare ratum judicium insimu-  
lantum.  
Manifesta virum virgo petivit volueris  
490 Aliquando; vir est visus amicus patriae,  
Judice me minime est reus hujus sceleris.

*Argumentum.*

Creon accedit, choro se culpare, cuius a rege insimulatus est, h.e. perduellionis purgans crimine. Rex Creontem opprobriis obruit, quod fucum sibi facere velit, quo insidiarum suspicionem diluat. Tiresiam, qui olim occiso Laio nihil viderit, nihil nunc scire, sed subornatum a Creonte comminisci fabulam. Creon contra negat se altiora concupisere, sibi enim consultius esse secundum esse in regno, quam regem; rex vero suis consiliis consentaneum esse ait, ante occidere insidiatorem, quam exspectare doli mali exitum. In tempore adest Jocasta, quae Creontem juratum in Deorum fide esse doceat, mariti iras sedet, fratre periculo eripiat.

Vv. 630—670. Chorus Oedipum rogat, ut suspicionem missam faciat. Hoc rex sibi periculo fore monet, sed ejusdem chori precibus exoratus, ut nolit pristino malo novum addere, Creontem, quamquam adhuc suspectum, dimittit. Id chorus in bonam partem accipit et sanctissime affirmsat nihil sibi regis salute esse desiderabilius; sibi enim recenti in memoria esse pristinum regii consilii beneficium.

### CHORUS III.

*Stropha A.*

*Chorus.*

630 Obedias, rex, volens atque prudens, precor.

*Oedipus.*

Ego tibi cur paream?

*Chorus.*

Verere non antea debilem, nunc gravem Dei fide.

*Oedipus.*

Scin, quid petessas?

*Chorus.*

Hoc scio.

*Oedipus.*

Dic, quid velis.

*Chorus.*

635 Cave premas amicum ancipiti reum  
Crimine, qui sacraverit se deo.

*Oedipus.*

Scitote, si quaeratis ista, vos mihi  
Damnum fugamve quererere ex his finibus.

*Stropha B.*

*Chorus.*

Per Solem, qui Deus Deos supereminet,  
640 Ego sine Deo et hominibus obeam  
Diem, si quidem haec mihi mens fuit.  
Sed mihi perditio terra pressa  
Mentem angit, si tamen mala  
Vetustis vestra copulantur.

*Oedipus.*

645 Sic ibit iste, quamquam oportet me mori  
Per vim, vel e tellure pelli patria.  
Os me tuum, non istius miserere me  
Facit, sed odio semper iste erit mihi.

*Creon.*

Videris odio cedere; aestuans enim  
650 Non es ferendus; mente tali praediti  
Ipsi dolorem maximum parant sibi.

*Oedipus.*

Nec me sines et ibis hinc?

*Creon.*

ibo, tibi

Ad hunc diem non notus, his idem tamen.

*Antistrophe A.*

*Chorus.*

Quid huncce, matrona, moraris domum ducere?

*Jocasta.*

Scitata, quae res facta sit.

*Chorus.*

655 Opinio venit incerta, mordetque ju-  
ris indigens.

*Jocasta.*

Utroque ab ipso?

*Chorus.*

Venit.

*Jocasta.*

Ac quae fabula est?

*Chorus.*

Satius est mihi sistere fabulam,

Quod satis est subacta jam civitas.

*Oedipus.*

660 Quo veneris, videsne, qui vir es bonus,  
Mentem retundens atque praestringens mihi?

*Antistrophe B.*

*Chorus.*

Rex, me scito, quod haud semel modo diximus,  
Nihii agere, sapereque mihi nihil,

Tibi si parare noxam velim,

665 Qui meam patriam perditam misere

Sospitem refeceris,

Bonus jam dux volens juvare.

### Argumentum.

Oedipus Jocastae aperit, quae altercationis sibi cum Creonte ortae causa fuerit. Se a Tiresia regicidii auctorem esse dictum, haud dubie a Creonte instincto. Jam e Jocasta sciscitatur, quo tempore, quo loco Laïus sit imperfectus, qua corporis statura rex et quot satellitibus usus fuerit. A raptoribus illum imperfectum esse cum ceteris comitibus uno verna excepto. Hunc domum venisse, sed Oedipo rerum potito bona cum venia rus in pascua se contulisse. Quod a pluribus Laium ceci-

disse audit, id bonam rex in partem interpretatur. Sed tamen servum superstitem arcessi cupit, subesse aliquid veri Tiresiae dictis suspicari incipiens sibique metuens. Omnem spem in servi testimonium de pluribus Laii interfectoribus refert.

## CHORUS IV.

### *Stropha A.*

- Ut sors mihi semper esset,  
Integros mores mihi que os integrum servare, quis di-  
cuntur esse natae,  
quae supera caela petunt  
840 per aethera leges, quis Olympus unus  
pater fuit, atque quas  
Nullum genus edidit  
Virum, nec ulla conteget oblivio mentium,  
Quibus et magnus deus est et aeternus.

### *Antistropha A.*

- 845 Fastus creator tyranni est,  
Fastus, ut multis tumescit perperam, decora quae non  
Sunt bonaevi frugi, et  
Ardua petunt juga, sic  
Praecipitia ruunt ad necessitatem,  
850 Quo nec pedis ullus est  
Usus; quod sit optimum,  
Deum oro, nolit hoc patriae solvere certamen,  
Mihi summus semper deus esto curator.

### *Stropha B.*

- Qui manibus et ore susque deque tractat omnia,  
855 Nec Justitiam veretur, templa nec Deum subit,  
Eum mala sors capessat insolentiae comes.  
Si non honestum fecerit lucrum, nec  
Infanda semper caverit,  
Sed sancta contrectet manu proterva,  
860 Quis erit in his, gloriari qui velit,  
Flectere iram mente mota?  
Haec enim si forte mactant laudibus,  
Ego chorum ducam?

### *Antistropha B.*

- Non igitur adibo Terrae ad umbilicum ego verens,  
865 Ad templaye Abis sita, non ad aedem Olympiam,  
Haec ni manifesta dicta comprobentur omnibus.

- Sed si bene audis, rector universi,  
O Juppiter, ne nescias  
Manere te perpetua regna summa.  
870 Cadentia — Laio  
Caelitus responsa temnunt,  
Nullibique honoribus Phoebus nitet,  
Divina labascunt.

Vv. 836 — 881. His auditis chorus bene cordatus sibi cordi esse profitetur in omni vita virtutis studium, improbitatem contemptui, se deos vereri et abominari eos, qui omnia susque deque agant et Deos despiciant. Qui ni improbitatis suae poenas det, se quoque non jam Abas iturum esse ad Apollinem Phocidensem, omnem jam Deorum difluere majestatem.

#### Argumentum.

Jocasta prodit in medium, quo Deos adoret, ut Oedipum sollicitudine liberent. Supervenit nuntius Corinthius, primum reginae, mox ipsi regi Polybum Corinthiorum regem diem supremum obiisse eique Oedipum in regno successurum esse referens. Ita Oedipus parricidii futuri oraculique motu liberatur, nimiam religionem cavillante conjugi. Idem quam una tantum oraculi parte i. e. parricidii committendi formidine solitus, se altero periculo i. e. Meropae matris conjugio angi confiteatur, nuntius hunc metum inanem, ipsum a se olim in Cithaerone inventum Polybo regi Corinthiorum et ejus uxori Meropae prole orbis traditum esse testatur. Porro percontante rege nuntius non a semet- ipso inventum, sed a pastore Thebano sibi exhibitum esse dicit. De hoc quoque pastore cetera sciscitatur, regina autem ejus quaestionem moratur. Eo majore cognoscendi generis sui cupiditate incenditur, quod regina ulteriore illius cognitionem deprecatur, et generis ignorabilitatem vereri videtur. Nihilo minus rex sibi pastorem quem Laii servum esse audit, nominari et sisti jubet. Hinc regina de incestu non jam dubitans se e conspectu proripit, rege nondum intelligente necessitudinem, ceteris etiam reginae discessum mirantibus, sed consanguinitatis humilitate spreta factum suspicantibus.

Vv. 1057 — 1076. Quo fit, ut chorus singulari quamquam brevi carmine Cithaeronem jam montem regis patrium celebrare se posse gaudeat et de Apolline Mercurio (Cyllonio) et Baccho Nymphisque Heliconiis divinet, regi divinos originis honores vindicans.

#### Argumentum.

Jam adest Laii olim servus Jocastae jussu e pascuis vocatus; interrogatus autem ab Oedipo fatetur, Laii se servum olim fuisse, cum regis gregibus in Cithaerono aestivasse, ibi vidisse hunc pastorem Corinthium suos greges ibidem pascentem, a Jocastâ vero se recens

natum puerum transfixis cruribus accepisse, quia Apollinis oraculo parricida futurus esset significatus, in Cithaerone monte exponendum, se vero misericordia commotum infantem illi pastori Corinthio tradidisse, sperantem fore, ut is natum regium regi Polybo et Meropae conjugi, qui liberis carerent, daret. Nunc etiam Oedipus, ubi, quo res esset statu, cognovit, illico abit in regiam.

Vv. 1155—1197. Quae quum ita sint, chorus carmine lyrico negat ullam hominum condicionem certam aut felicem esse, fortunam vero cito transire. Sane Oedipi fortunam merito prosperrimam fuisse, Sphingis monstro sublato. Jam miserrimam esse, quod idem portus ipsum et natum et genitorem exceperit. Tandem tempore patefactam esse quae filio cum matre intercederet, necessitudinem fatalem, quam postremo devovet, nihil sibi gratius fuisse affirmans, quam si numquam vidisset Oedipum. Nihilo minus salva veritate non potest, quin se eodem ipso auctore e calamitate quandam convaluisse et resipuisse confiteatur.

## CHORUS V.

### *Stropha A.*

#### *Chorus.*

1155 Io, homines, io!  
O quam vos minime puto in vivis numerandos!  
Nam quis, quis homo bonae  
Fortunae sibi plus feret,  
Quam quantum specie tenet,  
1160 Ac mox visus omittit?  
Exemplumque tuum tuens,  
Haud sane Genium tuum, prorsus, hei, miser Oedipe,  
Gensebo beatum.

### *Antistropha A.*

Quicumque supra modum  
1165 Es felix opulentiae vi veloce potitus,  
O Juppiter, amovens  
Dantem oracula viraginem  
Saevam, mortibus omnibus  
Obstas aerea turris.  
1170 Ex hoc rex vocatus es  
Supremis et honoribus nostris auctus in inclyta  
Cadmea dominatus.

### *Stropha B.*

At nunc quis audit, quis est magis miser,  
Quis his pressus laboribus

- 1175 Quis hac vicissitudine?  
Io, nobile Oedipi caput,  
Cui satis fuit  
Portus amplius et  
Filio patri  
1180 que cubiculario,  
Qui potuere te, miser, qui potuere patrii  
Ferre adeo sulci silentes te?

*Antistropha B.*

- Lux temporis te prehendit inscum.  
Ac monstrat male vincita vincula  
1185 Parentis et parti male.  
Io, notuisse te mihi,  
Nate Laii,  
Me piget, piget.  
Ejulo, ejulo  
1190 Labiis hiantibus  
Ante alios; tamen fatendum est: lacrimare desii  
Et requievi levatus a te.

**Argumentum.**

Verna foras venit e regia et Jocastam vitam suspendio finivisse enuntiat, tum Oedipum irruisse aedem, et valvas clausas cardinibus emovisse, adspectu territum suspensam conjugem solvisse funibus, fibulis autem ei detractis se occaecavisse; jam vero adesse et se velle Cadmeis omnibus parricidam et infando nomine matris — conspicendum proponere.

**CHORUS VI.**

*Chorus.*

- O triste malum generi nostro,  
O non aliud, quod ego norim,  
1275 Tristius ullum!  
Qui te subiit furor infelix?  
Ecquisve Deum tibi magnorum  
Magis insiluit  
Hoc in miserando casu?  
1280 Sed ego nequeo cognoscere te,  
Ex te quaerere, quam multa velim!  
Mihi talem facis horrorem.

*Oedipus.*

- Eheu, eheu!  
Infelix ego; quo tandem feror?

1285 Miser, hei, quo feror? ac quo mea vox?  
Io, quo, deus insultas?

*Chorus.*

In horridumque cognitumque nemini.

*Stropha A.*

*Oedipus.*

Hei hei mihi!

1290 Nebula mea tenebricaque mihi piceaque  
Nec abigi potest, nec umquam ibit, hei!  
Hei, hei!  
Hei, hei mihi! quam me flagrans oestrum tenet  
Aculeorum et mens malorum conscientia.

*Chorus.*

1295 Nullumque tantis in malis miraculum  
Te ferre duplex dupli luctu malum.

*Antistropha A.*

*Oedipus.*

Io, io!

Mihine socius aliquis erit alias, ubi,  
Abieris tu? me fove, quaeso, caecum.

1300 Hei, hei!  
Nam non lates me; nam satis novi probe,  
Utcumque nocte caecus, hanc vocem tamen.

*Chorus.*

Horrende facto, qui tuam vim luminum  
Sic perdidisti? quis deorum te impulit?

*Stropha B.*

*Oedipus.*

1305 Apollo dat haec, Apollo dat haec  
Mea mala, malaque perficit eaque patimur  
Et ista nemo verberavit, ast ego miser!  
Quid ego viderim?  
Nihil videnti dulce cognitu foret.

*Chorus.*

1310 Sunt ista, sicut autumas.

*Stropha C.*

*Oedipus.*

Quid est videndum mihi? vel quid est, quod alloquar?  
Quid est adhuc, quale audiam libens?

Agite me procul, agite celerrime!  
Agite queso me procul, ingens malum,  
1315 Cui sua mala, sata precibus, imminent  
    Ac male dii volunt.

*Chorus.*

Tuaque mente sorteque infelix tua,  
    Quam nosse nolle temet ullo tempore!

*Antistrophe B.*

*Oedipus.*

Perito ille, qui vagum me compede  
1320 Resolvit et hominem modo genitum initio  
    E caede sospitavit, at nihil tamen juvit.  
        Neque mihi aut meis,  
    Si tunc morerer, tunc forem tanto probro.

*Chorus.*

Ego quoque hoc factum velim.

*Antistrophe C.*

*Oedipus.*

1325 Non patris occisor aut sponsus esse dicerer,  
    Quibus creatus sum parentibus.  
Nunc sine diis sum, sumque satus impiis,  
    Socius et tori, quo miser editus.  
    Si gravius fuerit aliquod hoc malo,  
1330 Id tulit Oedipus.

*Chorus.*

Ignoro, quomodo probem factum tuum.  
Non esse, quam caecum, ut puto, magis juvat.

Chorus (Vv. 1273—1334) ubi regem conspicit, affectui temperare non potest, quin horrendo ejus aspectu perterritus, in querelas erumpat. Ipse Oedipus conqueritur, at tamen etiam duci suo graties agit. Objurgatus autem, quod sibi oculorum lumina ademerit, ad hoc se ab Apolline impulsum esse asserit. Nec sibi volupe esse quicquam videre eorum, quae amaverit. Detestatur vero servum, a quo sit invitatus e vitae periculo puer ereptus, assentiente choro, qui se fatetur nolle sibi accidisse, ut nosceret Oedipum. Sed tamen Oedipi factum improbat, quod melius sit non esse, quam caecum vivere.

*Argumentum.*

Jam Oedipus choro sui excaecandi necessitatem demonstrat, quod parentes apud inferos rectis oculis non possit aspicere, nec quaecumque apud superos inquinaverit. Se etiam pejore sorte se dignum esse et vel in mare a civibus projici velle ait.

Tum Creon venit, quem pudore motus veretur Oedipus, opinione autem benigniorem se in hunc ille praestat. At rogatus ab Oedipo, ut ipsum in exsilium ire patiatur, hoc nunc non concedit, quia Delphos miserit, qui Apollinis voluntatem exploret. Tum Creon leviro filias desideratas ultro adducit. Rursus Creontem sollicitat Oedipus, ut sibi licet in exsilium proficisci. Sed pernegat Creon. Tandem regiam intrœunt Creon et Oedipus. Ita re ad exitum perducta quoniam apparet nihil infelicius esse Oedipo, chorus negat quemquam mortalium ante mortem posse beatum censeri.

**Stropha      Antistropha      Métra chori I.**

A.            A.

V. 151.	V. 159.	Hexametri dactylici.
" 152.	" 160.	dimetri iambici.
" 153.	" 161.	hexametri dact.
" 154.	" 162.	trimetri dactyl. praeeunte anacrusi.
" 155 sq.	" 163 sq.	tetrametri dactylici.
" 157.	" 165.	dimetri dactylici.
" 158.	" 166.	hexametri dactylici.

B.            B.

" 167.	" 176.	dimetri iambici.
" 168.	" 177.	dimetri iamb.
" 169.	" 178.	anapaestici hypercatal.
" 170.	" 179.	tetrametri dactylici.
" 171.	" 180.	tetrametri dact. cum anacrusi.
" 172.	" 181.	iidem praemissa dipodia iambica catal.
" 173.	" 182.	iidem c. dipod. iamb.
" 174.	" 183.	tetrametri dactylici.
" 175.	" 184.	dimetri iambici cat.

C.            C.

" 185.	" 197.	dimetri iambici brachycat.
" 186.	" 198.	dimetri iambici.
" 187.	" 199.	trimetri iambici cat.
" 188.	" 200.	trimetri iambici.
" 189.	" 201.	dipod. iamb. et cret.
" 190.	" 202.	dimetri trochaici brachycatal.
" 191.	" 203.	iidem qui 154 et 162.
" 192.	" 204.	iidem qui 190 et 202.
" 193.	" 205.	dimetri troch. catalect.
" 194.	" 206.	numeri verbis corruptis incerti.
" 195.	" 207.	trimetri iamb. cat.
" 196.	" 208.	trimetri iamb.

**Métra chori II.**

A.            A.

" 458.	" 467.	dipodiae iambicae et logaoedicae.
" 459.	" 468.	iidem cum dipod. spondiaca.
" 460.	" 469.	glyconeai.
" 461.	" 470.	iidem.
" 462.	" 471.	iidem, sed catalect.
" 463.	" 472.	dimetri anapaestici.
" 464.	" 473.	iidem.
" 465.	" 474.	iidem, qui 462 et 471.
" 466.	" 475.	dimetri troch. brachycat.

Stropha Antistropha

B. B.

- V. 476. V. 484. tetrametri choriambici.  
,, 477. „ 485. iidem.  
,, 478. „ 486. tetrametri ionici a min. catal.  
,, 479. „ 487. dimetri ion. a min.  
,, 480. „ 488. pentametri choriamb. hypercat.  
,, 481. „ 489. praeeunte anapaesto trimetri ion. a min. catal.  
,, 482. „ 490. praemisso anapaesto tetrametri ion. a min. catal.  
,, 483. „ 491. praemisso anapaesto dimetri ion. a min. catal.

Metra chori III.

A. A.

- „ 630. „ 653. dipod. iamb.  
„ 631. „ 654. dimetri iamb.  
„ 632. „ 655. tales, qualis 630.  
„ 633. „ 656. monometri iamb.  
„ 634. „ 657. trimetri iamb.  
„ 635. „ 658. dimetri dochm.  
„ 636. „ 659. iidem.  
„ 637. „ 660. trimetri iamb.  
„ 638. „ 661. iidem.

B. B.

- „ 639. „ 663. ischiorrhogici et dochm.  
„ 640. „ 664. dochm. et cret.  
„ 641. „ 665. dimetri dochm.  
„ 642. „ 666. dimetri cret. c. ditroch.  
„ 643. „ 667. antispast. et dimetr. iamb. brachycat.  
„ 644. „ 668. antisp. et penthemim. iamb.

Metra chori IV.

A. A.

- „ 836. „ 845. dipodiae iambicae et trochaicae.  
„ 837. „ 846. tetrametri epitriti.  
„ 838. „ 847. dimetri trochaici brachycatalecti.  
„ 839. „ 848. paeon I. et choriamb.  
„ 840. „ 849. trimetri iambici catal.  
„ 841. „ 850. iidem qui 640.  
„ 842. „ 851. iidem.  
„ 843. „ 852. penthemimer. iamb. et dimetri choriamb. cum troch.  
„ 844. „ 853. ion. a min. et logaoed. cum clausula spondiaca.

B. B.

- „ 854. „ 864. tetrametri troch. cat.  
„ 855. „ 865. praemissa anacrusi logaoed. et dimetri troch. cat.  
„ 856. „ 866. iidem.  
„ 857. „ 867. trimetri iamb. cat.  
„ 858. „ 868. dimetri iamb.  
„ 859. „ 869. iidem, qui 857.  
„ 860. „ 870. monometri iamb. et cretici.  
„ 861. „ 871. corrupti.  
„ 862. „ 862. trimetri epitriti cat.  
„ 863. „ 863. praemissa anacrusi adonii.

Stropha Antistropha

Metra chori V.

A. A.

- V. 1155. V. 1164. Glyconici cf. 460.  
,, 1156. „ 1165. Glycon. c. Pherecrateo.  
,, 1157. „ 1166. Glyconicis quales 1155 et 1164.  
,, 1158. „ 1167. Glyconici.  
,, 1159. „ 1168. iidem.  
,, 1160. „ 1169. Pherecrateus.  
,, 1161. „ 1170. Glyconeus.  
,, 1162. „ 1171. bini Glyconei.  
,, 1163. „ 1172. Praemissa anacrusi choriamb. hypercat.

B. B.

- „ 1173. „ 1183. penthemim. iambica et dimetri iamb. brachycat.  
„ 1174. „ 1184. iamb. choriamb. diiambus.  
„ 1175. „ 1185. dimeter iamb.  
„ 1176. „ 1186. antispastus et monometer troch. hypercat.  
„ 1177. „ 1187. monometri troch. hypercat.  
„ 1178. „ 1188. iidem.  
„ 1179. „ 1189. iidem.  
„ 1180. „ 1190. praemissa dupli anacrusi dimetri iamb. brachycat.  
„ 1181. „ 1191. choriamb. diiamb. choriamb. diiamb.  
„ 1182. „ 1192. choriamb. et dimetri troch. brachycat.

Metra chori VI.

„ 1273 — 1286. versus anapaestici.

„ 1287. trimeter iamb.  
„ 1288. trimetri iambici.

A. A.

- „ 1289. „ 1297. monometri iambici.  
„ 1290. „ 1298. dimetri dochm.  
„ 1291. „ 1299. dochm. et dochm. hypercat.  
„ 1292. „ 1300. spond.

V. 1293—1296. V. 1301—1404. trimetri iamb.

B. B.

- V. 1305. V. 1319. dimetri dochmii.  
„ 1306. „ 1320. iidem.  
„ 1307. „ 1321. dimetri iamb. c. troch.  
„ 1308. „ 1322. dochmii.  
„ 1309. „ 1323. trimetri iamb.  
„ 1310. „ 1324. dimetri iamb.

C. C.

- „ 1311. „ 1325. dipod. iamb. dim. cret. dipod. iamb.  
„ 1312. „ 1326. penthemimer. iamb. et monom. troch. hypercat.  
„ 1313. „ 1327. dim. dochm.  
„ 1314. „ 1328. iidem.  
„ 1315. „ 1329. iidem.  
„ 1316. „ 1330. dochm.  
„ 1317. „ 1331. trimetri iamb.  
„ 1318. „ 1332. iidem.

Haec hactenus. Restat enim, ut indicentur caerimoniae, quibus more majorum actus ille scholasticus rite celebrandus est, quo Conrector Gymnasii Nicolaitani communi Amplissimi Senatus Lipsiensis decreto ejusdemque Patroni Optimi jure designatus

D. phil. **Justus Hermannus Lipsius,**

hactenus III. Moldani Professor,

novum munus demandatum auspicabitur. Ad hunc igitur actum die XV. m. Aprilis hora IX. matutina rite peragendum ut, qui-cumque gymnasio ejusque collegio discipulorumque coetui bene cupiunt, adsint nobis praesentissimi et frequentissimi, id est, quod his litteris majorem in modum etiam atque etiam rogo. Valete, favete!